



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ortv Et Progressv Ac Viris Illvstribvs Ordinis
Gloriosissimæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ de
monte Carmelo**

Trithemius, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1643

Cap. I. Carmelitanæ familiæ primordia, & instauratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64495)



ORDINIS CARMELITANI

Ab ELIA Propheta primum inchoati,
Ab ALBERTO Patriarcha Ierosolymit. vitæ
Regula temperati,
A B. Theresia virgine ad primæuam disci-
plinam reuocati,

ORIGO.

CAPVT I.

*Carmelitana familia primordia, &
instauratio.*

Est in Syria mons *Carmelus*, quarto lapide ab Acone seu Ptolemaide, vrbe ob triennalem olim obsidionem nobili. In eo monte *Eliam* olim prophetam, & discipulum eius *Eli-seum*, aliosque prophetas vitam egisse solitariam, sacris ex litteris constat. Horum exemplo, post Christum natum, plurimi exinde anachoretæ locum illum tenuere: qui demum *Aimerici Malofaida*, Lemouicensis, Patriarchæ Antiocheni, Sedisq; Apostolicæ trans mare *Legati* operâ, in vnum certis legibus, vno sub capite seu Præfecto, coiere; cum antea sparsim montem incoluissent. Id ad annum Christi MCLXI. in Chronico suo ecclesiastico Onuphrius Panvinius refert. Secutis deinde temporibus, *Albertus Eremita*, Patriarcha Ierosolymitanus (fuit is *Petri Eremita*, qui belli sacri Urbano II. Pont. Max. auctor ac princeps exstitit, nepos)

*Carmelus
mons Sy-
ria.*

*Carmeli-
ta in vnâ
coeunt.*

*An. 1141.
Eisdē vitæ
regula
præscribi-
tur ab Al-
berto Pa-
triarcha.*

nepos) *Brocardo* Priori, ceterisque fratribus in monte Carmelo agentibus, vitæ regulam, ex *S. Basilij Cæsareæ Cappadociæ in Ponto Episcopi*, & *Ioannis Episcopi Ierosolymitani* libris concinnatam, præscripsit, anno salutis (vt quidem *Onuphrius* citato in *Chronico* tradit) millesimo ducentesimo quinto. In fine tamen regulæ annus *CLXXI*. adnotatur: nisi forsan in numeros (vt fieri non raro solet mendum irrepserit. Nam illo anno *Albertum* nondum fuisse Patriarcham, ex eodem *Onuphrio* alijsque *Chronographis* constat. Nisi cui fortè probabilius dici posse videatur, regulam istam ab *Alberto* quidem ante Patriarchatum fuisse conscriptam, idque iubentibus fortasse aut rogantibus alijs; postmodum verò nomen eius ac titulum patriarchalem eidem regulæ fuisse præfixum, fidei atque auctoritati apud omnes stabilicndæ.

Quo anno queritur.

Chronica nostra ad an. 1206. consule.

¶ Vt vt sit, illud ex veteri nummo argenteo, ab *Alberto* in gratiam peregrinorum cuso, certò didici, ipsum anno *CLXXI*. Patriarcham Ierosolymitanum fuisse, & vrbe sanctâ à Saracenis captâ apud *Prolemaidem* siue *Aconem* *Syriæ* urbem resedisse. Ceterum *Alfonfus Ciaconius*, libro de vitis Pontificum & *S. R. E. Cardinalium*, disertè narrat, *Albertum Eremitam, ex Episcopo Bethleemitano, Patriarcham Ierosolymitanum, post Heraclium, sub quo sancta ciuitas capta fuit, à Cælestino Papa III. anno 1191. constitutum, & apud Aconem à Saracenis an. 1204. occisum fuisse.* Sed vnde id hauserit, nescio. Quò ad annum obitus, ipsum leuiter lapsum, ex dictis constat. Nummum porro memoratum nos sub eiusdem *Alberti* effigie, ab *Hadriano Collartio*, inter Conditores ordinum religiosorum, *Antuerpiæ* curauimus in lamina ærea exprimendû. Huius nummi ista est inscriptio, ex vna parte: *ALBERTVS PATRIARCHA HIEROSOLYMITANVS ANNO MCCVI.* Ex altera: *HIEROSOLYMA A SARACENIS CAPTA, SEDE ACONEM TRANSLATA. NUMMVS PEREGRINORVM.*

NORVM. Spectantur eodem in nummo insignia vrbis Ierosolymitanæ, nimirum littera H. cum littera I. interfecante (quasi dicas Hierusalem per abbreviationem) & quatuor cruciculæ circumpositæ. Quod contra vulgi errorem, crucem grandiorum cum minoribus quatuor in scuto exprimentis, præter nos & *Scipio Mazella*, in regni Neapolitani descriptione, Italicè edita, obseruauit. Spectantur item insignia gentilitia familiae *Eremitana*; quæ ad Petrum Eremitam, sacra, vt diximus, militiae aduersus Saracenos Urbano II. Pont. Max. auctorem, genus suum referens, hodieque apud Francos & Belgas floret. Apud Francos notum *Tristani Eremita*, ducis bellicosissimi, nomen. In Belgis Hannonia atque ipsa Antuerpia suos habet Eremitas. Sunt autem ista gentis Eremitanæ insignia, ex ternis flosculis quinque foliorum itemque ex calculis precarijs, in formam Rosarij, vt vocant, digestis, composita. Ex quo liquet, non vanè Petro Eremitæ calculorum istorum inuentionem à Polydoro Vergilio alijsque adtribui.

Insignia vrbis Ierosolymitanæ.

Eremitana item familia.

Lib. de Inuentoribus rerum.

Ceterum regulam ab *Alberto* Patriarcha conscriptam *Honorius III.* Papa anno MCCXXVI. eiusque successori *Gregorius IX.* confirmarunt. Lapsu vero temporis, cum religionis feruor, quæ humana est III. confirmata fragilitas, paulatim tepesceret, *Innocentius IV.* Pont. Max. per *Hugonem* tit. S. Sabinae Cardinalem, *Regulam* & *Guilielmum* Antidarensis Episcopum, rigorem *Carmelitarum* regulæ MCCXLVIII. primus nonnihil temperauit. Post *Eugenius IV.* quod ijs temporibus ita conuenire videretur, abstinentiæ a carnibus ac ieiuniorum rationem, de que secessu ac mansione in cellulis assidua præceptum, edito MCCCXXXI. diplomate, mitate, mitigauit. At vero primæum vitæ monasticæ rigorem *B. TERESA de LESY, mulier, seu Ioan. Tripotius* virgo, imò virago, vere fortis, nostro sæculo reuocauit; monachalium primum, post & monachorum Carmelitarum excalceatorum, iuxta præscriptum

Aduerte quod ante Honorium III. confirmata fragilitas, paulatim tepesceret, Innocentius IV. Pont. Max. per Hugonem tit. S. Sabinae Cardinalem, Regulam Carmelitarum regulæ MCCXLVIII. primus nonnihil temperauit. Alexander III. & Innocentius III. ut testatur them. c. 4.

scriptum diuinæ regulæ, ab *Alberto* Patriarcha Ierosolymitano dictatæ, viuentium familijs sanctissimis in Hispania & alibi institutis.

B. Teresa nascitur. Nata est autem B. TERESA Abulæ, quod est Castellæ oppidum, nobili in primis apud Hispanos

An. 1515. gente *Abumadâ* & *Cepedâ*, anno superioris sæculi quintodecimo, V. Kalendas Aprileis, pridie festi *S. Bertoldi*, familiæ olim Carmelitanæ sodalis. A parentibus summâ curâ diligentiaq; educata, vna cum lacte ea virtutis semina imbibit, quæ in omnem ætatem adhæserunt. Annos viginti & menses septem nata, Carmelitanas inter moniales Abulæ in patria nomen dedit, in cœnobio eius vrbs primario, quod *Incararnationis* vulgò nuncupant. Post vitæ austerioris cupida, inde, Superiorum permisso, cum sodalibus aliquot digressa, nouum Abulæ monasterium, *S. Iosephi* cognomento, nobile excitauit; in eoq; primam, vt vocant, regulam, quam *Albertus*, vt diximus, Patriarcha cotinnavit, exactè seruari voluit atque præcepit. Huius instar plurima postmodum cum virginum, tum virorum cœnobia apud Hispanos, B. TERESA procurante, sunt exædificata: *Gregorio XIII.* & *Sixto V.* Romanis ex ordine Pontificibus adprobantibus.

An. 1535. Pium hoc institutum exinde *Italia*, *Gallia* *Celtica* & *Belgica*, atque ipsa etiam *India* vtraque, *Orientalis* & *Occidentalis*, aliæque Christiani orbis prouinciæ auide sunt amplexæ. Beata porro TERESA, vitæ stadio sanctissimè decurso, libris asceticis plurimis, Deo inspirante, conscriptis, denique rebus domi forisque præclare ac fortiter gestis, *Albæ* in Hispania, quod regni *Castellæ* est oppidum, diœcesis *Salmanticensis*, Ducatus titulo illustre, anno salutis *MDLXXXII.* ætatis *LXVIII.* pijsimè in domino obdormiuit. Sacrum eius corpus ibidem honorificè est conditum, quod hodieque incorruptum, non sine miraculo odorem spirat suauissimum, oleumq; stillat saluberrimum, totâ inspe-

B. Teresa moritur.

An. 1582.

in

inspectante atque obstupescente Hispaniâ. Ne cui autem ista minus credibilia fortasse videantur, mo-
neo similia legi de *S. Catharina* virgine & martyre
Alexandrina, deq; *S. Valburga* virgine Britannâ,
Eichstadij in Germania quiescente, alijsque.

Ceteram *B. TERESÆ* vitam ac miracula, sermo-
ne Hispano scripsere, *Franciscus Ribera*, Soc. IESV
Theologus eximius, & *Didacus Iepesius*, ex ordine
D. Hieronymi, Episcopus Turiasonensis, pientissi-
mæ virgini à factis confessionibus. Scripta eius
ascetica ijs, qui ad perfectæ vitæ metam contem-
dunt, vtilissima, & spiritum, vt vocant, seu medi-
tandi rationem (quâ, tamquam iaculo diuino, Le-
ctorum mentes suauiter vulnerat, atque ad virtutis
studium mirificè inflammat) summi nostræ ætatis
viri vnanimi consensu adprobarunt. In his fuere *Spiritum*
B. Ludouicus Beltramus, vitæ sanctitate, miracu ac vitam
lisq; nostro æuo clarus; *M. Auila*, quiq; vitam huius *B. Teresa*
viri conscripsit; *Ludouicus Granatensis*, ecclesiastes probarunt
facundissimus; *Dominicus Bannezius*, Doctor Theo- Theolog.
logus Salmanticensis & philosophus summus; *Bar- Domini-*
tholomæus Medina, Theologus item Salmanticen- cani.
sis; *Didacus Chavesius*, Philippo II. Hisp. Regi à sa-
cris confessionibus, *Ioannes Gutierrez*, eidem Regi
sacris à concionibus; *Ferdinandus Castilius*, qui
Dominicani ordinis historiam fusè conscripsit;
Garcias Toletanus, Indiarum Cominissarius gene-
ralis, cuius iussu ipsa virgo *B. TERESA* vitam suam
litteris consignauit; *Petrus Fernandez*, *Ioannes Sali-*
nas, *Philippus Menesius*, viri cum pietate tum do-
ctrinâ eximij, & Dominicani omnes instituti so-
dales.

Ex Societate IESV, præter Fr. Riberam eiusdem *Soc. Iesv*
virginis præcones exstiterè, *Franciscus Borgia*, ex *Theologi*
Duce Gandiæ, Soc. IESV Præpositus Generalis ter-
tius; *Henricus Henriquez*, *Antonius Posseninus*,
Gaspar Salazarus, *Balthasar* & *Rodericus Alware-*
zj, *Hieronymus Ripalda*, alijsq; non pauci. Omitto

M

Theologia

Antistites. *Theotonium Eboræ*, *Christophorum Roxam* Hispalis, *Ioannem Riberam* Valentia, *N. Velasquius* Compostellæ, *Christophorum Belam* Burgi Archiepiscopus; *Aluarum Mendozam*, & *N. Sierram* Palentia, *Ioannem Oroscum* Couarruuiam Guadix, (cuius exstat liber de vera & falsa prophetia,) *Laurentium Otadium* Abulæ, *N. Mansum* Calaguris, *N. Castrum* Segobia, Episcopus; *Didacum* Couarruuiam, celeberrimum Castellæ Præsidentem, *Thomam Bozium*, aliosq; cum doctrinâ, tum dignitatibus ecclesiasticis illustres.

Principes. Ut de Principibus aliquid addam; *Philippus II.* Hisp. Indiarumque Rex, eiusque soror *Maria* Imperatrix, *Maximiliani II.* Cæsaris vidua, summo *B. TERESIAM*, eiusq; sociâ honore sunt profecuti. *Henricus IV.* Gallia & Nauarra Rex apud *Clementem VIII.* Pont. Max. institit, ut huius institutionales in Galliam mitterentur. *ALBERTVS AVSTRIVS*, & *ISABELLA CLARA EVGENIA*, Sereniss. Belgarum Principes, eas ipsas Lutetiâ Parisiorum ad se euocarunt, sumptuosissimo Bruxellis monasterio à fundamentis excitato. Ex quo haud multò post colonia Louanium & Montes Hannonia sunt deductæ; aliò itidem, ut speramus, breui protrahendæ; operâ in primis Ven. *M. Anna de Iesu*, quæ *B. TERESIAE* sociâ olim exstitit. Finio, & coronidis loco, tumuli inscriptionem, quæ Albæ visitur, in Lectoris gratiam appono:

RIGIDIS CARMELI PATRVM RESTI-
TVTIS REGVLIS
PLVRIMIS VIRORVM FOEMINARVMQ.
ERECTIS CLAVSTRIS
MVLTIS VERAM VIRIVTEM DOCENTI-
BVS LIBRIS EDITIS
FVTVRI PRÆSCIA, SIGNIS CLARA
COELESTE SIDVS AD SIDERA ADVOLAVIT
B. VIR.